

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CXXXIII. An sine peculiari Dei reuelatione in hac vita mortali Trinitas
possit euidenter demonstrari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

CAPVT II.

Demonstrari non posse, in Deo esse tres personas, contra eundem probatur.

2. Tria igitur putat Raymundus demonstrari posse huius mysterij, eaque demonstrare conatur, quæ sigillatim, vt facilius à nobis refutentur singulis capitibus commemorabimus. Primum est, plures in Deo esse personas. Secundum est nec plures, nec pauciores esse, quam tres. Tertiū est, has tres personas esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctū. Hæc demonstrare contendit in libro, quem vocauit Apostrophē, & in lib. de demonstratione æquiparantē, & in lib. sententiarum, in princip. vbi disputat, an Theologia sit scientia, & alibi sæpe numero: notat tamen, huius mysterij demonstrationes non esse à priori, nec à posteriori, sed æquiparantē. Vocat autem demonstrationes æquiparantē, quia nec per causam sunt, cum nulla sit causa Trinitatis, nec ab effectu, cum nullus eam indispicit: sed ab æqualibus: asserit nihilominus, has demonstrationes deduci ex prioribus propositionibus, non quia illæ sint priores conclusionibus, cum nulla sit causa ibi prior, sed quia illæ non habeant alia priores.

His politis, primum demonstrare sibi videtur hoc modo. Vbiūque est concordia, est etiam pluralitas: hæc propositionē ipse relinquit vt notam, in diuina autem bonitate est concordia: ergo in diuina bonitate est pluralitas. Idem argumentū fieri potest in quouis attributo minorem vero sic probat: quia vbiūque est actus, est concordia agentis, & acti in ipso actu: in diuina autem bonitate est actus, quem ipse appellat bonificare: ergo ibi est concordia bonificatiui, (inquit ille) & bonificabilis in actu bonificandi. Eodem spectat alia ratio, quæ est huiusmodi. Vbiūque est æqualitas, est distinctio inter ipsa æqualia: in diuina autem bonitate est æqualitas inter bonificationem, & bonificabile: ergo ibi est pluralitas. Maiorem relinquit etiam vt notam; minorem vero eodem modo probat, quo probauit minorem superioris demonstrationis.

Verum hæ rationes non solum demonstrationes censendæ non sunt, sed etiam eas nullius esse momenti, statim apparet. Primum quidem demonstrationes non sunt, quia supponunt id, quod nullo modo euident est, nec alio modo, quam fide diuina creditur: esse videlicet in Deum actum teendum rem, qui sit productio, nam licet ratione naturali probari possit, Deum intelligere, & velle, & ita in Deo esse operationem, & actum: at nulla certe ratione euidenter ostendi potest, esse actum intellectus & voluntatis, qui vere sit productio: & nisi fides id doceret, diceremus, actum intelligendi, & volendi esse in Deo suam substantiā, non operationem, & à nobis solū concipi per modum operationis, & actus. Deinde ratio illius, ad probandum esse in Deo actum productionis, ereo, quod sit bonificatiui, bonificare, & bonificabile, friuola est. Nā hic actus non est, quem fides docet esse productionem personæ, & notio- nalem operationem, sed est actus quidam, non efficiens, & producentis, adhuc nostro modo intelligēti, sed per modū causæ formalis, sicut dicere solemus, albedo facit albu, ergo hoc modo non deducitur probabiliter, nedum euidenter, esse in Deo realem concordiam in actu bonificandi inter fiatuium, & bonificabile, sed solum nostro modo intelligendi, quo hæc distinguuntur.

Vazquez in I. partem To. II.

Hanc verò pluralitatem personarum esse Trinitatem, demonstrare sibi visus est Raymundus hoc pacto. Illa essentia censetur esse in maioriore actionis, in qua sufficit vnica actio, vnica passio, & vnicus actus; hoc est, illa essentia est perfectissima in agendo, in qua tantum reperitur vnicum agens, seu producens, vnicum productum, & vnicus actus, ponit exemplum, vt bonificatiui, bonificabile, & bonificare, (his enim nominibus Schola illius vtitur diuina autem essentia est in maioriore actionis, hoc est, perfectissima est in producendo, ergo in ea tria illa tantum debent esse. Maiorem huius demonstrationis probat, quia si in eadem essentia essent plures actiones, vna limitaret aliam, quod magna esset imperfectio, ac proinde talis natura non esset in maioriore actionis. Deinde eadem seruata proportionē alio medio confirmat. Illa essentia est in maioriore distinctionis, in qua est vnicus distinctiuus, generatiui, seu productiuus, vnicus etiam distinguibilis, & generabilis, producibilis, & vnicum distinguere per spirare, & amare, diuina autem bonitas est in maioriore distinctionis, ergo in diuina bonitate illa tria sufficiunt, & paulo infra subiungit hæc verba. *Intendimus dicere, quod est vnicus distinctiuus, & generatiui respectu Filij, & hic est Pater. & vnicus distinguibilis, generabilis & producibilis respectu Patris, & hic est Filius, & vnicum distinguere per spirare & amare, & hic est Spiritus sanctus.*

Ego quidem vehementer miror, quam facile hic author sibi persuadere potuit, has esse perspicuas, & euidentes demonstrationes huius mysterij: cum non solum friuolæ sint, verum etiam aliqua contra nostram fidem ex illis sequi videantur absurda. Arque primo quidem, cum hæ rationes supponant id quod putauit Raymundus in præcedentibus fuisse demonstratum, illudque non satis probatum fuerit, vt præcedenti capite vidimus, nullam omnino vim, nedum euidentem habebunt. Secundo non constat, quomodo author demonstrat maiorem harum demonstrationum, in qua est solum vnicum producens, vnicum productum, & vnicus actus.

Tertio ex his rationibus sequi videntur absurda contra mysterium: primum quidem, Patrem esse distinctiuum filij, vt ipse Raymundus fatetur, cum tamen distinctiua personarum sint earum proprietates, & vnaquæque ab alia distinguatur aliqua sibi inherente proprietate, non alia personæ. Quo etiam fit, vt non sit vnum tantum distinguibile, & vnicum distinctiuum: sed cum tres sint personæ inuicem distinctæ, sint etiam tres distinguibiles, & tria distinctiua, nimirum proprietates: cum tamen Raymundus vnum solum distinctiuum, & vnum distinguibile esse asseueret, quod si distinguibile, dicitur quia ab alio producit, etiam Spiritus sanctus distinguibilis bebet vocari, cum etiam producat: & filius quoque dici debet distinctiuus, cum etiam producat. Eadem ratione consequitur, absurdum esse, quod dicit, nimirum Spiritum sanctum esse ipsum distinguere

Quia in ea Pontifex prohibet libros, quoque
 à prædecessoribus suis vetiti fuerunt. De eadem
 doctrina Raymundi Lullij ita scribit Gerson Al-
 phabeto 16. littera D. Sic nuper actum est Parisiis per
 sacram Theologia facultatem aduersus illos, qui doctrinā
 quandam Raymundi Lullij conabantur inducere, quæ licet
 sit in multis altissima, & verissima, quia tamen in alijs
 discrepat à modo loquendi Doctorem sacrorum, & à regu-
 ri doctrinalis sue traditionis, & visitata in scholis, ipsa
 edito publico repudiata, prohibitaque est. Et Alpha-
 beth. 19. littera K. dicit editum fuisse tem-
 pore librum contra doctrinam Raymundi Lullij.

Ceterum magna de hac re excitata fuit con-
 trouersia apud illusterrimos Cardinales inquisi-
 tores Anno 1590. sub Pontificatu Sixti quinti,
 dum ego adhuc Romæ essem, multis ex Catalo-
 niz Regno contendentibus bullam Gregorij 11.
 qua damnantur Raymundi errores, politam à
 Nicolao Aymerico in suo directorio inquisito-
 rum, ab eodem fuisse confictam. Proferebant
 enim sententiam contra Aymericum prolatam
 à Reuerendissimo domino Bernardo Episcopo
 Castellæ commissario, auctoritate apostolica con-
 tra Aymericum deputato, cuius transumptum
 authenticum ego postea habui in Hispania à Ioan-
 ne Herrera Philippi Regis secundi archiepis, ac in
 Mathematicis litteris viro insigni, in quo dam-
 natur Aymericus, quod bullam illam confixerit:
 atque illa de falsitate suspecta declaratur: nam
 consanguinei ipsius Raymundi coram Alamano
 Cardinali sancti Eusebij, & Legato sedis Aposto-
 licæ in regno Arragoniæ petierunt, vt prædi-
 ctam bullam, tanquam falsam, & facta per Ay-
 mericum irrita declararet. Legatus autem cau-
 sam commisit prædicto Episcopo, quinimo
 scripsit, & iussit Registratoribus Apostolicis, vt
 Auinione, vbi tunc Pontifex commorabatur, in
 registro prædicti Pontificis eam bullam perqui-
 rere: cumque inueniri non posset, singuli Regi-
 stratores eius rei fidem fecerunt: quibus cogni-
 tis prædictus Bernardus sententiam quam dixi-
 mus, tulit: quæ omnia habentur in libello quo-
 dam excuso de hac re, in quo etiam excusantur
 multi articuli, qui Raymundo tribuuntur, aut ex
 eius doctrina damnantur. Nostro etiam tempo-
 re sub Pontificatu Gregorij 13. hæc bulla tum Ro-
 mæ, tum Auinione quaesita est diligenter, & nun-
 quam potuit inueniri. In defensionem etiam eius-
 dem Raymundi multa alia scripta ex eodem regno
 allata sunt, inter reliqua vero erat libellus manu-
 scriptus, qui singulis erroribus ab Aymerico no-
 tis suo ordine respondebat, ostendens quosdam
 in nullo illius libro haberi, alios vero ex doctrina
 ipsius male intellecta fuisse decerptos.

Allegabant enim nonnulli, vt Raymundi li-
 bros defendere, inter priuata acta Concilij
 Tridentini haberi tractatum de hac re, in quo
 Doctor Villera Barcinonensis ipsum defendit, ne
 in catalogum librorum prohibitorum referretur.
 Nunc demum Ludouicus de Paramo contra hæ-
 reticam prauitatem in Regno Siciliæ Apostolicus
 Inquisitor, & sacrorum canonum Doctor egre-
 gius in secundo tomo suorum operum quaestione
 de combustione librorum titulo de Raymundi
 Lullij doctrina multa alia diligentissime conqui-
 sita in lucem edet, quibus non obscure ostendet,
 Raymundi Lullij opera non esse prohibita, at-
 que prædictum Aymericum à Maiori inquisitore
 Vazquez in 1. partem Tom. II.

sio Bernardo, de falsitate & surreptione fuisse
 damnatum, vt constat ex processu nuper Matrici
 oblato in Senatu regni Arragoniæ. Proferet etiā
 varias doctrinæ Raymundi approbationes, & in-
 ter eas, aliquas facultatis Theologiæ Parisiensis,
 quæ omnia breuitati confidens prætermittit. Ad-
 hæc vero sub iudice lis est.

Mhi sane aliquæ huius doctoris propositiones
 duriores videntur, & has Trinitatis demonstra-
 tiones nullius roboris esse censeo. Semper enim
 assumit author propositiones, quæ ipsi evidentes
 esse, mhi tamen nec probabilitatis aliquam spe-
 ciem habere videntur: quod si aliquando assu-
 mit propositiones, quæ fide Catholica credimus,
 aut quas secundum fidem concedere necesse est;
 non reddit illas evidentes, nec magis notas. Eius
 vero discipuli id semper nobis obijciunt, quod
 eorum principia nondum penetremus, & hæc
 dicunt esse causam, ob quam nobis demonstra-
 tiones non videantur. Sed valde mirandum est,
 nunquam ipsos vi sola rationum perspicuas no-
 bis eas reddere, & ad prima principia quæ sola
 terminorum explicatione statim animo hærent,
 reducere potuisse, quod mhi argumento est, ipsas
 in se demonstrationes non esse, sed huic doctrinæ
 nimium additis adeo placent, vt videre eas sibi
 videantur.

Porro ea quæ hic author dicit de fidei huius
 mysterij, quam habita semel demonstratione
 ipse putat in nobis circa illud mysterium amplius
 non manere, durum etiam existimo: sic enim
 tollitur omne meritum fidei in hac vita circa præ-
 cipua nostræ fidei mysteria. Respondet ipse nos
 non fuisse creatos ad nostrum meritum, sed ad
 laudandum Deum, quem finem nihilominus
 consequimur, etiam si tollatur meritum fidei. Ad-
 dit vero hoc etiam meritum manere, quia ma-
 net fides in animi præparatione. Ego tamen ab
 hoc authore quærerem, si hæc mysteriorum
 demonstratio haberi potest, nunquid eam ipse
 potius, quam Paulus allecutus est: ad qui Paulus
 passim proficitur, se ambulare per fidem, non
 per speciem: cur ergo Lullius sine fide puta-
 bat se ambulare? Facilius ipse respondere posset,
 manere cum hoc genere demonstrationum as-
 sensum fidei, quia quamuis generaret aliquam
 euidentiā, illa esset adeo exilis, & per alie-
 nas species vt simul cum ea assensus fidei esse
 posset, vt secunda secundæ quaestione. 1. articulo
 5. probabitur. Neque enim quæuis eviden-
 tia pugnat cum assensu fidei, vt falso putauit
 Scotus in 3. distinct. 24. quaest. 1. §. Contra hæc,
 probans contra Henricum, non manere fidem in
 eo, qui euidenter rationem huius mysterij fue-
 rit allecutus: sed multo melius fatetur Henri-
 cus & Gerson locis citatis, cum euidentiā illa ra-
 tionum manere posse fidem. Quomodo autem id
 fieri possit nō explicat Gerson. Henricus vero ita
 defendit: quia putat, eos duos assensus, eiden-
 tem scilicet, & fidei, non esse contrarios: quia
 assensus demonstrationis est quo ad quaestionem,
 An est: assensus vero fidei quo ad quaestionem,
 Quid est: habita enim euidentiā de Trinitate, sicut
 modo habemus de vnitāte Dei, cum illa non ac-
 tingat ipsum, quod quid erat Dei, adhuc manet
 obscuritas circa illud; ac proinde fides quoque il-
 lius manere potest.

Fallitur tamen hic author; quia fides myste-
 riorum

De Lullij
 doctrina in
 ci. m.

N. n. pugnat
 cum fide
 quilibet ob-
 iecti euiden-
 tia.

riorum solum esse potest circa questionem, *An est*, fides enim est aut assensu cogitare, ut ait Augustinus libro primo de prædestinatione Sanctorum ca. 2. assensus autem mysteriorum, in via solum est circa questionem, *An est*, non circa ipsum quod quid est, cuius nullam adhuc notitiam habemus: nomina enim Dei ostendunt nobis in via ipsum, *An est*: non ipsum, *Quid est*, ut disp. 57. c. 3. notauimus. Cæterum Spiritum Dei in multis Raymündum habuisse, indicant scripta eius de Philosophia amoris, de amico, & amato, & magnarum contemplationum, aliaque multa: potuit tamen in aliquibus non ex Dei Spiritu, sed ex proprio cerebro aliqua depromere, quæ licet Catholica essent, & vera, durius tamen, quam par erat, ab eo dicerentur, & explicarentur.

DISPUTATIO CXXXIV.

An Deireuelatione communicari possit viatori notitia quiditativa huius mysterij.

Status questionis. cap. 1.

Quid sentiant Scotus, & Nominales. cap. 2.

Vera sententia Durandis & Capreoli. cap. 3.

CAPUT I.

Status questionis.

CONTRouersia præcens non est, an homini possit communicari notitia quiditativa, & propria Dei; sed an manenti in statu viatoris hæc possit communicari: viatoris autem nomine intelligimus, non hominem in carne mortali, sed nondum videntem Deum ea clara, & intuitiva notitia, qua creatura rationalis beata constituitur. Itaque difficultas est, an media aliqua visio possit intellectui creato communicari, quæ nec sit clara & intuitiva, ut animam beæ, nec sit per alias species, sicut illa, quam habemus ex creaturis deductam, sed quiditativa quidem, & propria ipsius, nondum preueniens ad rationem intuitiuam, quæ ob id abstractiuam dicamus. Dicitur enim quædam notitia abstractiua, etiam si propria, & quiditativa sit; quædam autem intuitiva, ut explicat Gabriel in prima questione prologi art. secundo notatione 2. abstractiua quidem, quæ abstrahit rem ab esse, & existentia: sicut cum aliquis cognoscit rosam non existentem propria specie & conceptu. Cum enim hæc cognitio non terminetur ad rem existentem, sed ad eam secundum se, dicitur ab Scholasticis notitia abstractiua. Illa vero quæ non solum est propria rei, sed fertur in illam ut existentem, dicitur intuitiva. Alio modo Scotus definiuit utramque in secundo distinctione 3. questione 9. quæ incipit: *Secundo quero*. §. *Ad questionem igitur*, inquit enim, notitiam abstractiuam illam esse, quæ non tantum fertur in rem abstractiuam ab esse, sed etiam à præsentia: itaque licet intellectus proprio conceptu intelligat rem, etiam ut existentem, si tamen non feratur in illam, ut præsentem, non dicitur illam intueri. Sicut astrologus, qui cognoscit euidenter eclipsim in alio hemisphærio, dicitur habere solum abstractiuam notitiam: contra vero, qui non solum cognoscit rem existentem, sed etiam præsentem, dicitur intuitiuam illius habere notitiam. Mihi tamen, quamuis hæc controuersia de voce videatur, magis probatur sententia Gabrielis, ut intuitiua notitia dicatur

Quæ sit abstractiua notitia Dei, quæ intuitiua.

ea, quæ fertur in rem cum sua existentia in propria differentia temporis: & ita scientiam futurorum, cum habetur per propriam speciem, esse appellandam intuitiuam: quia fertur proprio conceptu in rem cum propria existentia pro sua differentia temporis: hoc enim postulat cognitio intuitiua, ut feratur in res existentes, prout ipse sunt aut futuræ sunt: non autem alio modo.

Hæc nunc dixisse sufficiat, ut sententias Doctorum intelligamus: nam capit. 3. nostram explicantes, propriam differentiam intuitiuam, & abstractiuam notitiæ subiiciemus.

CAPUT II.

Quid sentiant Scotus & Nominales.

SCOTUS loco allegato & in 4. dicitur. 49. quæst. 11. in ea est sententia, ut affirmet, non solum homini viatori peculiari lumine illustrato posse Deo concedi notitiam Trinitatis euidentem, & propriam abstractiuam, quæ ad intuitiuam non pertingat, verum etiam Angelum virtute propria ea habere potuisse per speciem à Deo infusam, quam quodammodo super naturalem, quodammodo naturalem appellat; naturalem quidem quia est ad eliciendum actum ordinis naturalis; supernaturalem vero, quia est à Deo libere infusa, & non necessario, nec ab obiecto naturali derivata. Ita explicat in ea quæst. §. *Ad rationem primam opinionem* ad quartum argumentum, & in §. *Ad questionem*, consentit Maior in secundum d. 3. q. 5. conc. 5. & q. 3. prologi, idem affirmat Balfus q. 1. prologi art. 2. §. *sed quicquid*. & §. *explicatio*. Petrus Alliaccensis in primum qu. 1. prologi art. 3. & 4. sed hi quatuor solum asserunt, huiusmodi notitiam, quam dicunt posse communicari, esse solum supernaturalem: addit vero Gabr. veritatem Theologicarum contingentiam, ut mysteriorum incarnationis, dari non posse in hac vita euidentem illam notitiam: bene tamen earum veritatem quæ necessariæ sunt, ut mysterij Trinitatis & eorum, quæ ipsum consequuntur.

Primum igitur, nempe dari posse notitiam illam abstractiuam mysterij Trinitatis probatur: quia abstractiua notitia prior est suapte natura, quam intuitiua: prius autem potest esse sine posteriori. Deinde, Deus potest quacumque notitiam intuitiuam conferuare in absentia obiecti: ergo potest efficere, ut quæ erat intuitiua, sit abstractiua, sicut ex definitione utriusque colligitur. Hanc vero notitiam posse esse naturalem, per speciem naturalem, eo modo, quem diximus, non probat Scotus, sed solum id asserit: nec vi deo qua ratione probari possit. Alterum, quod addit Gabriel, sic ipse probat: quia notitia abstractiua veritatum Theologicarum necessarium non supponit notitiam intuitiuam ipsius Dei, sed solum notitiam creaturarum, hanc autem habere potest homo: ergo & notitia abstractiua ipsius Dei ei communicari potest. At vero notitia abstractiua veritatum Theologicarum necessarium non supponit notitiam intuitiuam ipsius Dei, sed solum notitiam creaturarum, hanc autem habere potest homo, ergo & notitia abstractiua ipsius Dei ei communicari potest. At vero notitia abstractiua veritatum Theologicarum contingentium supponit intuitiuam ipsius Dei, ergo illæ hac non potest abstractiua illa communicari, ut